

Nostri melior pars animus est: in illo, nulla pars extra animum; totus ratio est. Quum interim tantus error mortalia teneat, ut hoc, quo neque formosius est quidquam, nec dispositius, nec in proposito constantius, existiment homines fortuitum et casu volubile, ideoque tumultuosum inter fulmina, nubes, tempestates, et cetera, quibus terrae ac terris vicina pulsantur. Nec haec intra vulgum dementia est, sapientiam quoque professos contigit. Sunt qui putent, sibi ipsis animum esse, et quidem providum ac dispensantem singula, et sua, et aliena: hoc autem universum, in quo nos quoque sumus, expers esse consilii, et aut ferri temeritate quadam, aut natura nesciente quid faciat. Quam utile existimas ista cognoscere, et rebus terminos ponere? Quantum Deus possit: materiam ipse sibi formet, an data utatur? utrum idea materiae prius superveniat, an materia ideae? Deus quidquid vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant: et a magno artifice prave formentur multa, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, saepe inobsequens arti est? Haec inspicere, haec discere, his incumbere, nonne transilire est mortalitatem suam, et in meliorem transscribi sortem? Quid tibi, inquis, ista proderunt? Si nihil aliud, hoc certe sciam, omnia angusta esse, mensus Deum. —

L. ANNAEI SENECAE AD LUCILIUM, NATURALIUM QUAESTIONUM

LIBER III.

PRAEFATIO.

Non praeterit me, Lucili, virorum optime, quam magnarum rerum fundamenta ponam senex, qui mundum circuire constitui, et causas secretaque ejus eruere, atque aliis